

onem, quæ per cola & commata fit, & inter accentuationem Hebræorum, quæ per accentus fit. Hoc illustraverat Vir Cl. loco ex Deut. V, 4. 5. 6. desumpto, in quo alia latinæ versionis interpunctio, & alia hebræi codicis accentuatio est. Quid evidentius? tyro, qui primis labris Grammaticam & accentuum doctrinam gustavit, hoc intelligit, sed Frank. non intellexit, vel ex malitia vel ex stupiditate. Nonne te stupidissimum appellem?

§. XII.

Non sufficit vidisse exceptiones Frankii, sed necesse est, ut ejus argumenta videamus, quibus usum pronuntiativum, quem, uti §. 8. ex ejus verbis ostensum, concessit, iterum non sine evidenti contradictione impugnat. Audiamus eum §. 17. loquentem: *Pronuntiationis decoræ usum Dn. opponens urget. Quæro ergo, quam orationem enunciet & pronuntiet distinctam, an vero non distinctam? Respondebit, ni fallor, distinctam. Cum enim certus & determinatus sensus non sit in verbis, quæ rite & recte non distinguuntur, nec ille pronuntiatione exprimi potest. Non entis enim nullæ sunt affectiones. Quæro porro: quomodo & quibus mediis fit apud Ebræos orationis distinctio? Respondebit: per accentus. Nam & hoc, ut vidimus, concedit. Videmus ergo distinctionem esse priorem pronuntiatione, nec hanc sine illa esse posse. Hic Frankius non cum Viro Cl. sed cum umbra sua pugnat, & aërem verberat. Hæc enim Abichtius urget. Ut vim argumenti Frankiani intelligamus, illud in forma proponam, quod supra Frankius postulavit. Si distincta versiculi pronuntiatio fit secundum accentus distinctivos, sequitur, quod accentus distinctivi priores sint distincta pronuntiatione Atq. E. Concedo totum argumentum. Argumentor porro: Si accentus distinctivi priores sunt distincta pronuntiatione, secundum eos instituenda, sequitur, quod accentus distinctivi sint signa distinctæ lectionis. Q. E. D. Sic Frankius inscius Cl. Viri sententiam confirmat. Garris ergo & ineptis, nec quicquam solidi profers.*

§. XIII.

Supereft ultimum Frankii argumentum, quod §. 18. occurrit: *porro nec illud negari poterit, pronuntiationem esse tantum accidens orationis, nec illam ad essentiam orationis pertinere. Distinctio*

Distinctio